



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXX. Doctrina data auxilio efficaci, & concordia eius cum libero arbitrio,
verbus Christi Matth. II. comprobatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

ibi tanquam in vltima ratione sistendum est. De qua re dixi plura Tractat. de prædeterminatione. & reprobatur.

CAPVT XXX.

Doctrina data de auxilio efficaci, & concordia eius cum libero arbitrio, verbis Christi Matth. 11. comprobatur.

In Scripturis nil expressè traditum de auxilio prædeterminante, vel de vocatione congrua, &c. sub his expressis vocibus.

Suppono in scriptura sacra non inueniri aliquid expressè traditum de auxilio prædeterminante, vel de vocatione congrua, imò nec de auxilio efficaci, sub his expressis vocibus, sed ad summum inueniri verba prædeterminandi, præfiniendi, aut deferendi, Deo ex æternitate attributa etiam quoad effectus à libero arbitrio dependentes. Sed de his iam in superioribus diximus esse longè diuersa à verbo prædeterminandi prout significat motionem quam Deus voluntati hominis in tempore infert, vt modo illo vtimur, an vero liceat ab vno ad aliud argumentari, licet dictum etiam sit, aliquid fortasse attingemus. Vocationis autem, & auxilij nomina sæpè inueniuntur in Scriptura, cum addito vero congrua vocationis non inuenitur. Solum ad Hebr. 4. loquens de Christo Paulus exhortatur nos, vt æquamus cum fiducia ad thronum gratia eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Quæ vox magnam affinitatem habet cum auxilio congruo, & ita D. Thomas exponit, id est, congruo tempore, & ita ceteri verbum illud maxime exponunt de temporis opportunitate, scilicet, vel in quo maxime illo indigemus, vt est tempus tribulationis, persecutionis, ac tentationis, vel etiam mortis, aut certè de tempore in quo nobis prædesse possit, vt est tempus huius vitæ, vt cum Chrysostomo exponit Theophyl. At vero nihil obstat, quin ibi etiam significetur auxilium omni ex parte ita opportunum, vt de facto proficit, tale enim maxime petendum est, in nihilominus tamen qualis esse possit vel requiratur opportunitas, ibi non declaratur, nec in alio Scripturæ loco, vt dixi. Ideoque non sunt petenda expressa testimonia, quibus vera doctrina de auxilio efficaci comprobetur, sed per illationes, ac deductiones vel necessarias, vel maxime probabiles, veritas hæc ex scriptura eruenda est. Tribus autem modis doctrinam datam ex Scriptura colligimus. Primo ex locis in quibus docemur, eandem vocationem quæ in vno homine est inefficax, in alio esse efficacem. Secundo ex alijs quæ in proxima potestate voluntatis humanæ, supposita vocatione Dei, ponunt tam resistere illi, quam facere, vt effectum habeat, ac subinde efficax sit. Nam ex vtriusque principio concluditur, prædeterminationem physicam non esse necessariam ad efficaciam gratiæ, ac subinde in vocatione congrua ponendam esse. In tertio vero loco addi possunt testimonia quæ ita commendant vsum, & modum libertatis, vt consequenter prædeterminationem excludant.

Primum ergo argumentum sumimus ex illo loco Matth. 11. *Va tibi Corozain, Va tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere poenitentiam egissent.* Vt autem ex hoc Matth. c. 11. loco argumentum validum sumi possit, oportet supponere verba Christi non per exaggerationem, aut per coniecturam fuisse dicta, sed certissimam prophetiam ex infallibili præscientia profectam continere. Hoc probatur suppono ex Prolegom. 2. & alijs locis ibi citatis, nunc sufficit nobis autoritas Augustini libro de dono persever. capite 10. & 14. & in Enchirid. cap. 95. quibus locis illis verbis

Christi vtitur tanquam certissimis, & apertissimam continentibus prophetiam. Quo supposito sic ex hoc loco argumentamur. Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ coram Iudæis factæ sunt, cum solo interiori auxilio quod Iudæis datum, & oblatum est, illi credidissent, sed Iudæis habitatoribus Corozain, & Bethsaida tantum fuit data vocationis sufficiens, quæ posset velle credere, & non est data prædeterminatio physica, vt constat, quia noluerunt credere, ergo Tyrij, & Sidonij cum eadem vocatione crederent absque alia prædeterminatione, ergo illam et vocationem, quæ in quibusdam non fuit efficax, in alijs foret efficax, & non propter prædeterminationem, ergo quia illi attemperarent voluntatem suam vocationi, & quia vocationis effectus illis attemperata, & congrua, licet alijs non fuerit.

Ad hoc argumentum respondent, negando Tyrios & Sidonios fuisse credituros per eandem vocationem externam, & internam solam præuenientem, sed fuisse credituros, quia eorum voluntates à Deo prædeterminarentur. Quia illa præscientia Christi supponebat decretum Dei conditionatum, quo statuerat dare Tyrijs & Sidonijs prædeterminationem si apud illos factæ essent omnes virtutes, quæ in alijs ciuitatibus factæ sunt. Nam Christus Dominus non dixit, quod si illæ virtutes factæ essent, apud Tyrios cum illis solis, vel sine prædeterminatione credidissent. Sed hoc ex parte reiectum est in prolegom. 2. vbi ostendimus frustra in Deo contingi talia conditionata decreta. Hic verò ex proprijs impugnat tripliciter. Primo aperte, primo testimonio Augustini dicto lib. de dono persever. cap. 14. vbi ex verbis illis Christi ita colligit. *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinam naturalem minus intelligentiam, quo mouentur ad fidem, franguntur suis mentibus vel audiant verba, vel signa comprehendunt.* Hæc enim illatio Augustini nullius momenti est, si verum est Tyrios & Sidonios fuisse credituros, quia danda illis fuisset prædeterminatio, quæ non fuit data Iudæis, quia licet in Tyris non fuisset aliud intelligentie lumen, nec alia ratio congruitatis, sed in omnibus antecedentibus conditionibus essent pares Iudæis, imò licet essent inferiores, & virtutes factæ apud illos essent minores, si danda esset illis prædeterminatio, infallibiliter essent credituri. Ergo vel Augustinus, si alias sentiebat aliud discrimen fuisse futurum inter Tyrios, & Bethsidas ex diuina prædeterminatione illis danda quæ illis fuit negata, ineptissimè intulit aliud discrimen in congruitate, vel si hoc de Augustino sentire ineptissimum, & insolentissimum est, fatendum est illum non cognouisse talem prædeterminationem, nec conditionatum decretum de illa danda Tyrijs, sed in sola congruitate à Deo præcognita diuersitatem illam quoad efficaciam posuisse.

Secundò impugnat illa responsio, quia ex illa redditur omnino inefficax, imò iniusta Christi Doctrina exprobratur. Probat sequela, quia iuxta illam responsionem hunc fuisse oportet sensum comparationis Christi. Si in Tyro, & Sidone essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, illis data etiam fuisset diuina prædeterminatio quæ vobis data non est, & sic in cinere & cilicio poenitentiam egissent. Ad hæc quæ exprobratio Iudæorum est? Profecto potius esset excusatio. Nam si hoc Iudæis immo retinet, merito responderent. Quid mirum quod illi crederent prædeterminationem reicientes ad credendum? Da nobis illam & credemus. At quid nos reprehendis, si prædeterminationem sine qua impossibile est, voluntatem nostram determinari ad credendum, non habemus, nec tu illam nobis dabis aut offers, neque nos aliquid agere possumus quæ illam

nam consequamur? Vt si quisquam exprobraretur quod pondus non portauerit solus, quod alter cum adiutorio tertij portasset, inutilis esset reprehensio, nam iusta excusatio esset in promptu vt per se constat. Respondent verò Christum increpasse Iudæos quia maiora peccata commiserant, per quæ magis indigni talis auxilij extiterunt, vt pote propria malitia obdurati, quod non fecerunt Tyrii & Sidonij. Quæuis enim (aiunt) non potuerunt Iudæi aut Tyrii, & c. ad prædeterminationem suis viribus se preparare, potuerunt nihilominus magis, vel minus, se impedire, & ideo merito exprobrantur Iudæi, qui cum essent magis indigni, magis fuerunt adiuti ex parte Dei. Et statim ad hoc allegant D. Thomam 3. cont. gent. cap. 159. & 160.

Ad hæc responsio in primis inuoluit repugnantiam in illa sententia, nam iuxta illam ex parte hominum nulla potest reddi ratio cur potius huic homini detur prædeterminatio, quam illi, nec cur potius huic denegetur, quam illi. nam Deus ante præscientiam omnium futurorum decreuit huic dare determinationem, & non illi pro solo suo arbitrio, ergo ante præscientiam in illis Gentilibus, & Iudæis maiorem vel minorem indignitatem, vtriusque voluit non dare determinationem; ergo non potest illa responsio accommodari iuxta illius sententiæ principia. Secundo magis hoc vrgetur, quia illi auctores dicunt, non solum ante præscientiam futurorum absolutam, sed etiam ante conditionem decreuisse Deum non dare prædeterminationem Tyriis, etiam si in illis fierent talia signa, ergo similiter ante omnem præscientiam absolutam, & conditionatam voluit Deus non dare Iudæis eandem determinationem, etiam si apud eos fierent talia signa, ergo non est illis negatum illud auxilium propter maiorem indignitatem, sed absolute, quia Deus dare noluit. Accedit quod obduratio Iudæorum in non credendo visis talibus virtutibus, & signis, supponit carentiam prædeterminationis, ergo non potuit illa obduratio esse ratio ob quam Deus decreuit talem prædeterminationem eis non dare. Nisi forte dicant, propter obdurationem sub conditione præuisam decreuisse Deum etiam sub conditione non dare Iudæis prædeterminationem ad finem, etiam si in eis fierent virtutes, quod & in illa sententia repugnat, quia talis præscientia supponit in Deo decretum merè voluntarium, in quo fundetur, & præterea puniret Deus peccatum tantum sub conditione præcognitum, quod esse valde absurdum offendit August. contra Semipelagianos dictis locis de don. persever. cap. 10. & 14. & lib. de Prædestinat. Sanctior. frequenter.

Tertio etiam illo modo non iustificatur Christi exprobratio, quia etiam si Iudæis denegaretur prædeterminatio propter maiora peccata, possent reprehendi propter illa peccata; non tamen quia non conuertebantur, & penitentiam agebant, at verò vt ibi D. Thomas notat, Christus non exprobrabit Iudæis peccata commissa, sed eorum impenitentiam, ergo supponit illa exprobratio datū fuisse Iudæis, vel oblatum quicquid eis necessarium erat ad agendum penitentiam, ac subinde prædeterminationem non esse necessariam. Probatur consequentia cum maiori, quia denegata prædeterminatione, in sensu composito iam non poterant conuerti, nec erant in potestate illorum facere aliquid quo auxilium efficacis prædeterminationis obtinerent, ergo non peccabant in eo, quod non erat in eorum potestate, vt sæpe ex doctrina Augustini argumentati sumus. Imo possent illi Iudæi non immerito conqueri, quod scilicet vocarentur ad fidem, & ad occasionem captandam, vel colorem puniendi illos, fierent in eis exteriora signa, & virtutes cum illis, nec daretur nec offerretur internum quoddam auxilium necessarium omnino ad credendum.

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

Quarto multo magis excusari possent quod, non solum non datur, nec offerebatur eis determinatio ad credendum, sed potius ipsorum voluntas à Deo prædeterminabatur ad voluntatem non credendi, & prius fuisset determinata ad illos actus, quibus vel obdurati, vel magis inepti ad credendum facti sunt. Et sic etiam instat ad comparationem exprobratoriam respondendo se possent excusare dicentes, quid nobis imputas, quod indigniores facti sumus, cum Deus ipse nostram prædeterminauit voluntatem ad omnia, quæ fecimus, vel voluimus, quod in Tyriis & Sidonij non tam frequenter, vel non circa obiecta habentia tam grauem deformitatem fecit. Sed obicitur nobis, idem argumentum posse fieri contra nos, quia etiam vocatio congrua est necessaria ad agendam penitentiam, & hæc non fuit data Iudæis, data vero fuisset illis gentilibus. Vnde etiam possent Iudæi excusari, quia non fuerunt congruenter vocati, sicut alij fuissent. At vero nihil iuuat euasio, nec excusatio Iudæorum esset legitima, nam auxilium ex parte Dei oblatum reuera erat idem, seu æquale, & per malitiam Iudæorum non fuit eis congruum, aliis vero futurum erat congruum, non sine libera cooperatione ipsorum, seu non sine ordine ad illam. Et ita merito Iudæi exprobrantur comparatione gentilium. Prædeterminatio autem data fuisset, ex sola voluntate Dei, & ex eadem fuisset negata Iudæis, quæ est euidentis inæqualitas, non ex ipsis nata, sed tantum ex Deo.

Sed contra hoc instatur, quia etiam nunc fuit similis differentia. Nam Iudæi videntes signa posuerunt impedimentum, ne à Deo prædeterminarentur, quod impedimentum non ponerent Tyrii & Redargui-Sidonij. Sed hoc eisdem modis redarguitur, & conuertitur, in illorum auctorum principis. Tum quia vincitur, etiam hoc modo supponitur, Deum in præscientia denegasse illud auxilium Iudæis propter eorum peccata, & non ex se, quod ipsorum dictis est contrarium. Tum etiam, quia ex parte Tyriorum illa scientia est conditionata, & ita Deus decreuisset dare prædeterminationem Tyriis, si virtutes in eis fuissent factæ, quia iam sub conditione præiudicat eos non fuisse opposituros impedimentum prædeterminationi, quod & repugnat doctrinæ illorum, quia Deus non habet illam præscientiam, ante decretum liberum suum, & coincidit in sententiam Semipelagianorum, quatenus dicebant, Deum punire, vel præmiare opera sub conditione tantum præuisa, & nunquam futura. Tum præterea quia supposita necessitate prædeterminationis nulla est dispositio ex parte hominis libera, quæ posset impedire prædeterminationem, neque hoc potest in culpam hominis refundi, vt supra efficaciter probatum est, quia nemo impedit secundum vel nouum auxilium præueniens, nisi quia non bene vtitur primo, nemo autem bene vti potest primo nisi ad illum met vsum detur auxilium efficax; ergo deueniendum est ad primum auxilium efficax necessarium ad primum vsum, si ergo illud detur, infallibiliter sequetur bonus vsum prioris auxilij, & non ponetur impedimentum ex parte hominis, sed quia Deus non vult dare. Præterquam quod quicumque vsum, vel non vsum priorum auxiliorum, reuocandus est in illa sententia, ad prædeterminationem datam, vel negatam ad hunc vel illum vsum.

Denique tota hæc responsio manifestè repugnat August. in citatis locis. Nam ex hoc ipso Christi testimonio celligit vocationem congruam pro solo Dei arbitrio negari quibus vult, sine vlla ratione sumpta ex operibus vel absolute, vel sub conditione præiudis. Quapropter nullo modo posset iusta, vel rationalis inueniri Christi exprobratio, si conditionalis illa propositio, Si Tyriis prædicatum fuisset

set euangelium cum talibus signis, in illa suppositione fundata esset, quod illis daretur prædeterminatione efficacax, ergo sensus verborum Christi necessarius ost, credituros fuisse Tyrios & Sidonios cum illis auxiliis quibus vocabantur Iudæi, utique non solum externis, sed etiam internis sufficientibus. Hi enim nunquam excluduntur quia semper supponitur Deum illa dare proportionata vocationi, & signis externis, ut in lib. 3. declaratum est. Meritoque sub signis, & virtutibus intelligere debemus non tantum quæ sensibus obiciebantur, sed etiam quæ in animis audientium virtute Spiritus sancti fiebant, ita ut planus, & simplex sensus verborum Christi. Si Tyriis, & Sidoniis, data fuissent subsidia, quæ vobis data sunt, penitentiam egissent, ergo illa erant satis ad efficacem conversionem, si voluntas libera suam cooperationem adhiberet.

Vnde possumus tertio argumentari, nam verba Christi in communi, & visitato, ac proprio verborum sensu accipienda sunt, nisi vel grauissima autoritas, vel euident ratio aliter interpretari compellat, sed iuxta communem, & visitatum sensum, similia verba faciunt sensum præcisum, & exclusiuum, & ita sine dubio ab his qui Christum audiebant intelligebantur; ergo ita sunt a nobis interpretanda. Maior constat ex generali regula interpretandi. Minor declaratur exemplo, nam si me rogante alium, vel mihi beneficium conferret, & illo nolente dicerem: Si Petrus petiisset à te, illi dares, nemo dicet, sensum esse: Si Petrus à te petiisset dando pecunias tibi beneficium illi dares, aut satis esse ad veritatem meæ locutionis, quod Petrus non sola petitione, sed adiunctis pecuniis obtineret: hoc enim non esset beneficium impetrare petendo, sed obtinere emendo. Si ergo in præsentia, si conditionalis locutio Christi non ita intelligatur ut Tyrii, & Sidonij credituri essent, cum eisdem subsidiiis præcisè sumptis, quæ data fuerant Iudæis, in rigore, & proprietate falsa esset locutio Christi, etiam si credituri essent cum illis subsidiiis adiuncta prædeterminatione, quæ Iudæis data non fuerat, neque oblata. Eo vel maxime quod tunc conversio Tyriorum magis fuisset coacta, vel necessaria, quam libera, & voluntaria, de qua Christus loquebatur, & ob cuius defectum Iudæis exprobat.

Vnde præter Augustinum locis citatis hunc sensum tradunt, vel tanquam certum supponunt expolitores in Matthæum, Gloss. ordin. D. Thomas. Iansen. Maldonat. expressius vero Anselmus sic ait. *Quamuis prouidebat Deus illos (scilicet Tyrios & Sidonios) habiles esse ad conversionem, tamen non fuit iniustitia, sed eos, qui peccatores erant, & ideo indigni noluit vocare, quia cum vult miseretur, & quem vult indurat.* Certè non vocat habiles, quia essent capaces prædeterminationis, hoc enim modo omnes quantumuis obdurati sunt habiles, sed quia erant ita affecti, ut eis futura fuisset congrua vocatio. Vnde subdit inferius. *Sed quare Deus negat gratiam libenter suscepturis, & gratia consensuris, non est nostrum scire, & Idem satis innuat Ambrosius lib. 7. in cap. 10. Lucæ dicens. Si Tyrius & Sidon tanta operationum celestium viderent miracula non despicissent remedium penitentia. Vbi non prædeterminationi, sed eorum arbitrio id tribuit.*

Ex hoc ergo loco concludimus, eandem vocationem, quæ in vno est inefficax in alio posse esse, imo, & futuram esse efficacem si illi detur, sine additione alicuius auxilij præuenientis, solum propter congruitatem ad eum, qui bene usus esset illa vocatione, si ei daretur. Et ad idem confirmandum valet illud Ezechiel. 3. *Non ad populum profundum sermonis, & difficilis lingue tu mitteris, neque ad multos profundum sermonis, &c. Etsi ad illos mittereris audirent te.* Hæc enim conditionalis eodem modo induci po-

test, & debet, quo præcedens. Vnde Hieronymus ibi. *Facilis illi audirent, qui profundi sunt, alique sermonis, & nihil habent de leuitate Iudæica, sed graui, & profundo ingrediuntur pede, & cum ignote sunt lingua, mittere desunt, &c.* quibus verbis circumstantias ad congruitatem vocationis conferentes videtur describere. Et concludit. *Vnde sequitur etsi ad illos mitterem te, ipsi audirent te.* Et alia similia supra in Prolegomen. 2. tractata possunt huic argumento accommodari. Vbi etiam ostendi varietatem harum conditionalium propositionum non posse in prædeterminatione fundari, sed tantum in libera determinatione arbitrij futura. Et inde consequenter inferitur efficaciam vocationis in actu secundo perdere à libera cooperatione arbitrij, et quo vltierius concluditur, efficaciam in actu primo includere habitudinem ad futuram liberi arbitrij determinationem, ac proinde in congruitate vocationis sitam esse.

CAPVT XXXI.

Eadem doctrina aliis scriptura locis ad bonum usum gratie exhortantibus inuaditur.

Secundo principaliter ad hoc inducimur illa scripturæ testimonia, in quibus homines exhortantur, ut suam vocationem quantum ex parte sua reddant efficacem utique in actu secundo, vel quod non perinde est admonentur ne irritam reddant vocationem Dei, nam hæc duæ negationes illi affirmatioui æquivalent, ne potest aliter vocatio non haberi irrita, nisi consentiendo seu cooperando illi. Hæc namque exhortationes supponunt in potestate hominis actiua, & morali positum esse sufficientis vocationis effectum. Nemo enim prudens alium monet, ut agat, quod non potest, neque excitat illum ad recipiendum, quod ab alterius sola voluntate provenire potest, nisi etiam ex sua pendeat, ergo testimonia quæ ad effectum vocationis homines exhortantur, supponunt efficaciam non pendere ex prædeterminatione, sed dari homini in actu primo, & in eius morali potestate constitui, quoad actum secundum, quod esse non potest nisi per vocationem congruam. Nam si intercedere debet prædeterminatio, exhortandi prius essent homines, ut haberent prædeterminationem, quod tamen superuacaneum esset, cum ab illis fieri non possit, neque ab eorum arbitrio pendeat.

Primo igitur isto modo inducimur verba Petri 2. epist. c. 1. *Satagite vi per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciat.* Quæ verba quoad particulam certam duplicem habent sensum. Vnus enim ut significant certitudinem cognitionis, ita ut sensus sit, satagite per bona opera, vel vos ipsos, vel alios certos reddere, quantum in hac vita fieri potest, quod vestra electio, vel vocatio à Deo sit, vel quod sitis verè iusti, aut etiam electi, & prædestinati, quem sensum Beda Oecumen. & Glossa sequuntur. Alter sensus est ut Petrus non de certitudine subiecti, seu cognitionis, sed de certitudine obiecti, & vocationis loquatur, ita ut idem sit facere vocationem, & electionem certam, quod facere firmam per eius executionem. Quam expositionem indicat D. Thom. 1. p. q. 23. art. 8. ait enim prædestinationem fieri certam per bona opera, quia per meliorum executionem certitudinaliter impletur, & ideo dixisse Petrum Satagite, &c. igitur facere vocationem certam, idem est, quod

n.
Eadē vocatio, quæ in vno est inefficax, in vno potest esse, imò & futura est efficax si illi detur, &c.